

manifestum est eam non esse terminum adæquatam concursus generalis per se sumpti. Imo ex terminis perspicuum videtur, rem particularem, quæ talis est, non posse esse terminum intrinsecum adæquatam concursus indeterminati. Terminus ergo adæquatus concursus generalis erit aliqua ratio generalis reperta in re, ut ratio entis vel substantiæ quæ per se primo tali concursui respondeat; nihil enim aliud fingi potest. Quo posito manifeste sequitur, res, quatenus sunt inter se distinctæ secundum suas proprias species, non egere concursu conservativo Dei, sed solum secundum rationem communem entis in qua conveniunt; quod absurdum est: sic enim distinctio rerum non penderet a Deo post primum instans creationis nisi per accidens, ut supra ostensum. Deinde implicat contradictionem, dari aliquam actionem singularem, cujus terminus adæquatus intrinsecus non sit aliquid determinatum. Unde etiam implicat, dari aliquam actionem totalem, quæ pro termino intrinseco adæquato habeat rationem aliquam indeterminatam, v. g. rationem entis, et non talis entis; rationem animalis, et non talis speciei animalis. Unde ulterius implicat, dari concursum seu influxum generalem sine speciali: quod etiam expresse docet Molina in Concordia q. 14. a. 13. disput. 6. et 31. §. *Ad primum*; ergo.

28. Ex his duabus rationibus perspicuum videtur, hanc sententiam duplicem vel triplicem involvere implicantiam: 1°. Quatenus tribuit rebus vim seipsas directe conservandi: 2°. Quatenus ponit, concursum generalem posse existere sine concursu speciali, a quo determinatur ad hanc speciem rei: 3°. Quatenus statuit res posse conservari in sua distinctione et determinata natura, per influxum secundum se indeterminatum.

29. III. Tertia ratio principalis sumi potest ex aliis rebus, quæ assidue a causis creatis dependent, ut sunt lumen, et objectorum imagines in aere, et actus vitales. Ac primum S. THOMAS et passim Doctores tradunt, totum universum ita pendere a Deo, sicut lumen aeris pendet a sole; neque melior comparatio in rebus inveniri potest. Etsi enim mundus videatur res solida quæ per se stare possit, tamen respectu Dei non plus habet firmitatis, quam lumen et imagines objectorum, ut supra ostensum est: atqui lumen ita pendet a sole, ut semper opus sit æque potenti ac determinato influxu; adeo ut non possit minore influxu conservari, quam primo productum sit; ergo pari modo nec mundus minore influxu Dei conservari poterit, quam sit is quo primo creatus est.

*Confirmatur*: Quia sicut lumen nihil est aliud quam aerem assidue illuminari; ita res creata nihil est aliud quam assidua creatio et productio in facto esse, ut ostensum est. Unde recte Scotus in 2. d. 2. q. 2. ait, *quælibet essentiam creatam nihil esse aliud, quam dependentiam sui a Deo*. Omnis enim actio seu productio identificatur suo termino intrinseco, cum nihil sit aliud, quam ipsa res considerata ut est in fieri, seu ut emanat a sua causa efficiente; et ipsa res nihil est aliud quam productio considerata in facto esse: unde falluntur qui imaginantur creaturam esse quid solidum realiter ab influxu Dei distinctum, quod permanere possit, Dei influxu in totum vel ex parte subtracto. Non sic concipienda est respectu Dei, sed ut terminus intrinsecus actionis divinæ; sicut lumen ut terminus intrinsecus

actionis solis. Impossibile autem est, quando res non solum in fieri, sed etiam in conservari a sua causa pendet, terminum intrinsecum actionis permanere, ipsa actione in totum vel ex parte subtracta.

30. Denique, ut alias rationes omittam, per se parum probabile videtur, Deum statim post primum instans creationis minuere suum influxum, et dare solum dimidium, vel alium longe minorem quam ante. Cur enim non poterit idem dici de sole, quando conservat lumen productum; et de objectis, quando in aere diffundunt species seu imagines suas; et de potentiis, quando producunt actus vitales? Nimirum hæc omnia post primum instans quo prodixerunt suos effectus, minorem influxum præbere quo illos conservent; quia facilius est productum conservare, quam primo producere. Hoc si de his absurde diceretur, quomodo non absurdum est id asserere de dependentia creaturarum rerum a Deo? Deinde, posita illa sententia, quid fieret si Deus continuaret ipsam actionem creativam? Quis esset effectus hujus continuationis? Si enim conservatio fit per solum influxum generalem, quid fiet si Deus continuat influxum specialem? An forte non potest continuare? Quis hoc dicat? an idem sæpius creabitur? Denique nihil videtur posse convenienter dici, nisi rem per talem continuationem influxus conservari in eodem esse quod ab initio accepit, sicut vidimus fieri in lumine.

31. *Dico II.* Quod attinet ad ea quæ non a solo Deo, sed simul cum causa creata intime in rei entitatem influente producuntur, ea si manent cessante influxu causæ creatæ, a solo Deo conservantur determinato et integro influxu, qualis necessarius fuisset, si ipse solus illam produxisset.

Hæc propositio iisdem rationibus probatur quibus præcedens: non enim minus res illæ egent determinato influxu Dei ad sui conservationem quando productæ sunt a causa creata, quam quando a solo Deo, ut per se manifestum est: atqui cum a solo Deo productæ sunt, egent influxu determinato ad sui conservationem, nec ullo modo sufficit influxus generalis, ut ostensum est; ergo etiam egent influxu determinato quando productæ sunt a causis creatis, nec ullo modo sufficit influxus generalis.

*Confirmatur*: Quia res dum producuntur, egent influxu pleno, determinato et adæquato; ergo etiam dum conservantur. Ergo simul atque cessat influxus determinatus causæ creatæ, necesse est illum a Deo suppleri alio influxu determinato, quo res in sua natura determinata conservetur: nulla enim res seipsam directe conservare potest, sicut nec seipsam producere, ut satis ante demonstratum est.

32. Contra hanc sententiam objiciuntur aliqua argumenta:

1°. Quod per illam videatur everti tota Philosophia. Si enim ex eo quod videmus res aliquas, cessante causa secunda, statim perire, ut lumen et actus vitales; alias non statim sed sensim perire, ut calorem et frigus; alias diu, alias semper permanere: si, inquam, non possumus hinc colligere, res illas quæ manent habere vim intrinsecam se conservandi majorem vel minorem pro cujusque conditione; quæ autem statim pereunt non habere vim ullam; sed ideo illæ permanent, quod Deus illas proprio influxu conservet,



hæc non permanent, quod Deus eas, cessante causa secunda, non conservet : sequitur, nulla experientia effectuum posse colligi vim et conditionem causæ creatæ, v. g. ignem esse calidum et habere vim calefaciendi intrinsicam, aquam frigidam, ceram mollem, ferrum durum : poterimus enim dicere, non ignem urere vi intrinseca, sed Deum ad præsentiam ignis, non ad præsentiam aquæ; ceram recipere impressionem, non quia in se mollis, sed quia Deus concurrat; ferrum non recipere, non quia in se habet duritiem, sed quia Deus non concurrat.

Respondeo : nullo modo id sequi, sicut e contrario non sequitur. Ex effectibus causarum secundarum colligimus eas habere vires intrinsicas ad eos producendos; ergo ex earum duratione qua durant, cessante causa illarum secunda, colligimus eas habere vires intrinsicas ad se directe conservandas. Nullus unquam Philosophorum vel Theologorum talem collectionem fecit; nullam enim speciem probabilitatis habet hæc collectio. Ex eo quod sol illuminat aerem, recte colligimus illum habere vim intrinsicam illuminandi, et non solum Deum esse causam luminis ad præsentiam solis; ergo ex eo quod sol permanet post sui creationem, oportet colligere solem habere vim intrinsicam se conservandi, et non solum Deum illum conservare. Item, si solus Deus est causa conservationis solis, ita ut sol non sit causa conservationis sui, nec ad eam concurrat; ergo necessario fatendum est quod similiter solus Deus sit causa illuminationis ad præsentiam solis, et sol non habeat intrinsicam vim illuminandi. Idem modus argumentandi applicari potest igni, aquæ, calori, frigori, et omnibus causis creatis. Hoc argumento maxime nititur sententia adversa. Optime colligimus ex effectibus vires intrinsicas rebus, et conditionem eorum nativam et intrinsicam; quia vel sensu eas vires percipimus, vel apertis indiciis quæ sub sensum cadunt deprehendimus : dicere autem, sensus nostros in omnibus falli, est tollere omnem veram notitiam ab homine, et totam rerum naturam facere merum præstigiū, in quo nihil quod videtur inesse revera inest. His accedit, omnibus notum esse, nihil repugnare quin aliquid possit agere in aliud, et effectum a se distinctum producere. Unde nulla subest ratio negandi vires intrinsicas, et veram causalitatem rerum creatarum. Ex rerum autem majore vel minore permanentia, nemo collegit unquam, rem ullam habere vim aliquam directe se conservandi; quia nullo sensu vim illam deprehendere, nec ullis indiciis illam colligere possumus. Nam sicut nulla res potest habere vim qua cooperetur ad sui productionem, ita neque potest habere vim qua cooperetur ad sui conservationem, nisi indirecte, ut supra ostensum est. Porro comparatio qua nititur hoc argumentum, requirit veram vim se conservandi effective intimo influxu in suum esse, ut supra ostensum est; hæc enim sola potest concurrere cum concursu generali, et supplere vicem causæ creatæ cessantis.

2°. Si res ipsæ non habent vires intrinsicas quibus se conservent in esse, tota duratio rerum erit referenda in solam voluntatem divinam, non in rerum nativam conditionem, nec poterit alia ratio reddi, cur lumen, subtracta causa secunda, statim pereat, calor non statim pereat, nisi quia Deus vult conservare calorem, non lumen. Idem dicendum erit de anima hominis et bruti.

Respondeo, nullo modo id sequi; quia etsi in ipsis rebus nulla sit vis qua

seipsas conservent, tamen inest ipsis aliqua ratio cur postulent conservari a Deo brevius; vel longius, vel etiam semper; et ita non est recurrendum ad meram Dei voluntatem. Quæcumque enim talis sunt naturæ, ut etiamsi pendeant a causa creata in fieri, non tamen pendent ab ea in conservari; ea natura sua postulant conservari a Deo, ut sunt omnes formæ tum substantiales, tum accidentariæ, quæ permanent cessante influxu causæ secundæ; alioquin frustra fierent in mundo; nam statim deberent perire. Quæ vero natura sua pendent non solum in fieri, sed etiam in conservari a sua causa effectrice, ea non postulant conservari cessante causa illa. Has duas regulas tradit Suarez in *Metaphys.* disp. 21. Itaque Deus conservat calorem, non lumen; quia nativa conditio caloris postulat, ut possit durare, amota causa propria; luminis autem conditio id non postulat. Cujus ratio est quia calor est solida qualitas ejusdem rationis in agente et in passo; lumen solum est imago alterius qualitatis, nempe lucis præsentis, sicut et species objectorum; unde semper pendet a præsentia suæ causæ, sicut species quibus aer pingitur, a præsentia colorum. Simili modo actus vitales, cum natura sua postulent procedere continuo a suo principio, et in illo recipi, non postulant conservari illo cessante, sed statim pereunt. Hinc patet cur sit miraculum, si Deus per se conservet lumen solis in aere absente sole; non autem sit miraculum, quod conservet calorem ab eodem sole in aere productum. Vide S. THOMAM 1. p. q. 104. a. 1.

*Dices* : Si Deus conservet calorem influxu determinato, subducta causa producente; ergo calor debet semper durare: si enim causa producens, nempe ignis, semper adesset, semper illum conservaret. Ergo cum Deus vicem illius in conservando subeat, debet semper conservare.

Respondeo, concedendo totum, nisi aliqua causa interveniat, quæ postulet eum non conservari. Quod enim Deus conservat, semper conservat, nec unquam illi influxum suum subtrahit, nisi aliqua alia causa creata id postulet. Unde non conservat res quantum potest, sicut ignis et sol; sed quantum conditio rerum postulat, ut fiat actio et passio. Hinc fit ut calori sensim subtrahat suum influxum, vi interna subjecti vel externa causa frigoris producente. Sicut enim ex parte causæ efficientis requiritur concursus Dei ut possint res creatæ agere; ita ex parte patientis requiritur ut subtrahat influxum suum qualitati inexistenti, ut contraria qualitas possit imprimi. Quod ad animam bruti et hominis attinet, ideo illa separata, non hæc perit; quia illius esse pendet a corpore et corporis dispositionibus, cum nullam operationem nisi corporalem habeat; unde non postulat conservari, sed universali lege debet perire, et influxus conservativus ei subtrahi. (Hinc tamen nulla specie rationis sequitur, quod ipsa res suum postulet interitum, vel subtractionem influxus conservativi.) Hujus vero esse non pendet a corpore, cum habeat functionem spiritalem, utpote res spiritalis per se subsistens, non immersa corpori nec a corpore pendens, ac proinde incorruptibilis. Id insinuant Patres cum dicunt animam esse immortalem, quia est imago Dei, et capax divinitatis per cognitionem et amorem. Denique omnis natura simplex per se subsistens naturaliter est incorruptibilis, sive sit corporea, sive incorporea. Cum enim sit simplex, non potest dissolvi per impressionem qualitatis corruptivæ, sicut corpora mixta composita ex materia et forma. Et cum per se subsistat, non potest pendere a re aliqua corruptibili. Sic ma-



teria prima, et elementa (sive hæc ipsa, ut multi volunt, sunt prima mixtorum materia), et cœli, item angeli, et animæ rationales sunt incorruptibiles, et postulant perpetuam conservationem.

3°. : Cuique rei inest naturalis appetitus ad sui conservationem, et ad resistendum contrariis, ut passim Philosophi docent : atqui omnis appetitus sequitur aliquam potentiam circa rem quam appetit ; ergo appetitus se conservandi supponit potentiam se conservandi.

Respondeo, majorem et minorem esse falsam. Major quidem, quia etsi omnibus rebus, præsertim substantiis, insit appetitus conservandi se in suo statu naturali, ac proinde habeant ad hæc aliquam potentiam activam, vel quasi activam, sicut est vis resistendi ; non tamen omnibus inest appetitus se conservandi in suo esse seu entitate actuali (hæc enim duo multum differunt), neque resistendi contrariis, cum multæ contrario careant, ut angeli, cœli, materia ; unde nec potentiam ad hæc habent. Etsi enim ista habeant appetitum ut semper sint, non tamen ut se conservent in esse, sed ut conserventur a causa a qua dependent, nempe a Deo, quam non possunt ullo modo directe vel indirecte juvare, sicut res corruptibiles, quæ saltem indirecte juvant ad sui conservationem. Hinc patet etiam minorem falsam esse : appetitus enim qui est in rebus incorruptibilibus ut semper sint, non sequitur potentiam conservandi quæ in ipsis sit, sed eam quæ est in Deo, a cujus influxu pendent assidue ; qui influxus lege naturæ est perpetuus et necessarius, eo quod ista neque contrarium habeant, neque ab ullo contrarium habente pendent.

4°. : Facilius est aliquid conservare quam producere : atqui hoc non potest aliunde provenire, quam quod res producta seipsam ex parte conservet, et causæ producenti dimidium laborem relinquat ; ergo etc.

Respondeo : Si loquamur de conservatione directa per internum influxum, antecedens est manifeste falsum, ut patet in productione luminis, et omnium eorum quæ per se non solum in fieri, sed etiam in conservari a sua causa productiva pendent, ut sunt omnes res creatæ quæ a solo Deo conservantur ; hæc enim pendent a Deo multo magis quam lumen a sole. Unde non est facilius eas conservare in esse, quam primum producere ; ut aperte docent sancti Patres. Si vero loquamur de conservatione indirecta, quæ fit amovendo corrumpentia, vel applicando juvantia ; sic facilius est conservare quam producere ; facile enim homo equum vel ovem conservat, quæ tamen nullo modo ipse potest producere. Sed talis modus conservandi nihil ad rem facit, neque potest supplere defectum influxus interni causæ a qua essentialiter secundum suam speciem et naturam individuum pendent.

5°. : Si Deus influxu determinato res conservat cessante causa secunda, ergo etiam in anima conservat hoc modo habitus vitiorum, etiam odii in Deum, quod videtur absurdum ; quia per se non posset istos habitus producere, ergo nec per se conservare.

Respondeo, concedendo quod infertur. Neque id magis est absurdum, quam quod concurrat ad actus ipsos peccatorum concursu generali : sicut enim ad munus auctoris naturæ pertinet cooperari suo influxu etiam ad actus peccatorum, ut homini constet plena libertas ; ita ad ejusdem munus pertinet conservare effectus productos, etiam noxios, quando illi a sua causa propria in conservari effective non pendent. Neque id absurdum videri

debet, quia isti habitus sunt reales qualitates naturaliter productæ ab actibus, non quatenus actus sunt peccata (sic enim solum producunt quid morale remanens in anima, quod vocamus peccatum, vel culpam habitualem) ; sed quatenus sunt actus vitales animæ, et vere qualitates vitales. Nec obstat quod non deceat Deum tales habitus per se in anima producere ; quia illorum conditio naturalis postulat produci ab actibus ; nec ulla est ratio, cur Deus illos per se producat cum naturæ rationali sint noxii, et ad malum illam inclinent : posset tamen producere, si potentiam spectemus. Subest tamen justa ratio cur deceat ipsum per se conservare habitum pravum ab actibus malis productum : quod etiam fateri debent illi qui ad hanc conservationem non requirunt influxum determinatum, sed solum generalem.

33. Ex his perspicuum videtur : 1°. Secundum veram Philosophiam et Theologiam tenendum esse, mundum non minore influxu a Deo conservari in esse, quam quo primum conditus est, sed prorsus eodem. 2°. Res eas quæ a causis secundis productæ ab illis non conservantur effective, a solo Deo conservari influxu determinato et adæquato adeo potenti, ut Deus per illum rem produceret, si ea non existeret. 3°. Nullam rem quæ a solo Deo effective conservatur, posse perire, nisi ipso libere influxum suum subtrahente ; quod lege ordinaria nunquam facit, nisi res contrarium habeat, vel pendeat ab eo quod contrarium habet. 4°. Nullam rem habere vim se conservandi directe, ita ut ratione istius conservationis non egeat determinato influxu Dei ; hoc enim implicat contradictionem. (De Perfectionibus divinis, L. 10. c. 4.)

O. A. M. D. G.



hæc non permanent, quod Deus eas, cessante causa secunda, non conservet : sequitur, nulla experientia effectuum posse colligi vim et conditionem causæ creatæ, v. g. ignem esse calidum et habere vim calefaciendi intrinsicam, aquam frigidam, ceram mollem, ferrum durum : poterimus enim dicere, non ignem urere vi intrinseca, sed Deum ad præsentiam ignis, non ad præsentiam aquæ; ceram recipere impressionem, non quia in se mollis, sed quia Deus concurrat; ferrum non recipere, non quia in se habet duritiem, sed quia Deus non concurrat.

Respondeo : nullo modo id sequi, sicut e contrario non sequitur. Ex effectibus causarum secundarum colligimus eas habere vires intrinsicas ad eos producendos; ergo ex earum duratione qua durant, cessante causa illarum secunda, colligimus eas habere vires intrinsicas ad se directe conservandas. Nullus unquam Philosophorum vel Theologorum talem collectionem fecit; nullam enim speciem probabilitatis habet hæc collectio. Ex eo quod sol illuminat aerem, recte colligimus illum habere vim intrinsicam illuminandi, et non solum Deum esse causam luminis ad præsentiam solis; ergo ex eo quod sol permanet post sui creationem, oportet colligere solem habere vim intrinsicam se conservandi, et non solum Deum illum conservare. Item, si solus Deus est causa conservationis solis, ita ut sol non sit causa conservationis sui, nec ad eam concurrat; ergo necessario fatendum est quod similiter solus Deus sit causa illuminationis ad præsentiam solis, et sol non habeat intrinsicam vim illuminandi. Idem modus argumentandi applicari potest igni, aquæ, calori, frigori, et omnibus causis creatis. Hoc argumento maxime nititur sententia adversa. Optime colligimus ex effectibus vires intrinsicas rebus, et conditionem eorum nativam et intrinsicam; quia vel sensu eas vires percipimus, vel apertis indiciis quæ sub sensum cadunt deprehendimus : dicere autem, sensus nostros in omnibus falli, est tollere omnem veram notitiam ab homine, et totam rerum naturam facere merum præstigiū, in quo nihil quod videtur inesse revera inest. His accedit, omnibus notum esse, nihil repugnare quin aliquid possit agere in aliud, et effectum a se distinctum producere. Unde nulla subest ratio negandi vires intrinsicas, et veram causalitatem rerum creatarum. Ex rerum autem majore vel minore permanentia, nemo collegit unquam, rem ullam habere vim aliquam directe se conservandi; quia nullo sensu vim illam deprehendere, nec ullis indiciis illam colligere possumus. Nam sicut nulla res potest habere vim qua cooperetur ad sui productionem, ita neque potest habere vim qua cooperetur ad sui conservationem, nisi indirecte, ut supra ostensum est. Porro comparatio qua nititur hoc argumentum, requirit veram vim se conservandi effective intimo influxu in suum esse, ut supra ostensum est; hæc enim sola potest concurrere cum concursu generali, et supplere vicem causæ creatæ cessantis.

2º. Si res ipsæ non habent vires intrinsicas quibus se conservent in esse, tota duratio rerum erit referenda in solam voluntatem divinam, non in rerum nativam conditionem, nec poterit alia ratio reddi, cur lumen, subtracta causa secunda, statim pereat, calor non statim pereat, nisi quia Deus vult conservare calorem, non lumen. Idem dicendum erit de anima hominis et bruti.

Respondeo, nullo modo id sequi; quia etsi in ipsis rebus nulla sit vis qua

seipsas conservent, tamen inest ipsis aliqua ratio cur postulent conservari a Deo brevius; vel longius, vel etiam semper; et ita non est recurrendum ad meram Dei voluntatem. Quæcumque enim talis sunt naturæ, ut etiamsi pendeant a causa creata in fieri, non tamen pendent ab ea in conservari; ea natura sua postulant conservari a Deo, ut sunt omnes formæ tum substantiales, tum accidentariæ, quæ permanent cessante influxu causæ secundæ; alioquin frustra fierent in mundo; nam statim deberent perire. Quæ vero natura sua pendent non solum in fieri, sed etiam in conservari a sua causa effectrice, ea non postulant conservari cessante causa illa. Has duas regulas tradit Suarez in *Metaphys.* disp. 21. Itaque Deus conservat calorem, non lumen; quia nativa conditio caloris postulat, ut possit durare, amota causa propria; luminis autem conditio id non postulat. Cujus ratio est quia calor est solida qualitas ejusdem rationis in agente et in passo; lumen solum est imago alterius qualitatis, nempe lucis præsentis, sicut et species objectorum; unde semper pendet a præsentia suæ causæ, sicut species quibus aer pingitur, a præsentia colorum. Simili modo actus vitales, cum natura sua postulent procedere continuo a suo principio, et in illo recipi, non postulant conservari illo cessante, sed statim pereunt. Hinc patet cur sit miraculum, si Deus per se conservet lumen solis in aere absente sole; non autem sit miraculum, quod conservet calorem ab eodem sole in aere productum. Vide S. THOMAM 1. p. q. 104. a. 1.

*Dices* : Si Deus conservet calorem influxu determinato, subducta causa producente; ergo calor debet semper durare: si enim causa producens, nempe ignis, semper adesset, semper illum conservaret. Ergo cum Deus vicem illius in conservando subeat, debet semper conservare.

Respondeo, concedendo totum, nisi aliqua causa interveniat, quæ postulet eum non conservari. Quod enim Deus conservat, semper conservat, nec unquam illi influxum suum subtrahit, nisi aliqua alia causa creata id postulet. Unde non conservat res quantum potest, sicut ignis et sol; sed quantum conditio rerum postulat, ut fiat actio et passio. Hinc fit ut calori sensim subtrahat suum influxum, vi interna subjecti vel externa causa frigis producente. Sicut enim ex parte causæ efficientis requiritur concursus Dei ut possint res creatæ agere; ita ex parte patientis requiritur ut subtrahat influxum suum qualitati inexistenti, ut contraria qualitas possit imprimi. Quod ad animam bruti et hominis attinet, ideo illa separata, non hæc perit; quia illius esse pendet a corpore et corporis dispositionibus, cum nullam operationem nisi corporalem habeat; unde non postulat conservari, sed universali lege debet perire, et influxus conservativus ei subtrahi. (Hinc tamen nulla specie rationis sequitur, quod ipsa res suum postulet interitum, vel subtractionem influxus conservativi.) Hujus vero esse non pendet a corpore, cum habeat functionem spiritalem, utpote res spiritalis per se subsistens, non immersa corpori nec a corpore pendens, ac proinde incorruptibilis. Id insinuant Patres cum dicunt animam esse immortalem, quia est imago Dei, et capax divinitatis per cognitionem et amorem. Denique omnis natura simplex per se subsistens naturaliter est incorruptibilis, sive sit corporea, sive incorporea. Cum enim sit simplex, non potest dissolvi per impressionem qualitatis corruptivæ, sicut corpora mixta composita ex materia et forma. Et cum per se subsistat, non potest pendere a re aliqua corruptibili. Sic ma-



teria prima, et elementa (sive hæc ipsa, ut multi volunt, sunt prima mixtorum materia), et cœli, item angeli, et animæ rationales sunt incorruptibiles, et postulant perpetuam conservationem.

3°. : Cuique rei inest naturalis appetitus ad sui conservationem, et ad resistendum contrariis, ut passim Philosophi docent : atqui omnis appetitus sequitur aliquam potentiam circa rem quam appetit ; ergo appetitus se conservandi supponit potentiam se conservandi.

Respondeo, majorem et minorem esse falsam. Major quidem, quia etsi omnibus rebus, præsertim substantiis, insit appetitus conservandi se in suo statu naturali, ac proinde habeant ad hæc aliquam potentiam activam, vel quasi activam, sicut est vis resistendi ; non tamen omnibus inest appetitus se conservandi in suo esse seu entitate actuali (hæc enim duo multum differunt), neque resistendi contrariis, cum multæ contrario careant, ut angeli, cœli, materia ; unde nec potentiam ad hæc habent. Etsi enim ista habeant appetitum ut semper sint, non tamen ut se conservent in esse, sed ut conserventur a causa a qua dependent, nempe a Deo, quam non possunt ullo modo directe vel indirecte juvare, sicut res corruptibiles, quæ saltem indirecte juvant ad sui conservationem. Hinc patet etiam minorem falsam esse : appetitus enim qui est in rebus incorruptibilibus ut semper sint, non sequitur potentiam conservandi quæ in ipsis sit, sed eam quæ est in Deo, a cujus influxu pendent assidue ; qui influxus lege naturæ est perpetuus et necessarius, eo quod ista neque contrarium habeant, neque ab ullo contrarium habente pendent.

4°. : Facilius est aliquid conservare quam producere : atqui hoc non potest aliunde provenire, quam quod res producta seipsam ex parte conservet, et causæ producenti dimidium laborem relinquat ; ergo etc.

Respondeo : Si loquamur de conservatione directa per internum influxum, antecedens est manifeste falsum, ut patet in productione luminis, et omnium eorum quæ per se non solum in fieri, sed etiam in conservari a sua causa productiva pendent, ut sunt omnes res creatæ quæ a solo Deo conservantur ; hæc enim pendent a Deo multo magis quam lumen a sole. Unde non est facilius eas conservare in esse, quam primum producere ; ut aperte docent sancti Patres. Si vero loquamur de conservatione indirecta, quæ fit amovendo corrumpentia, vel applicando juvantia ; sic facilius est conservare quam producere ; facile enim homo equum vel ovem conservat, quæ tamen nullo modo ipse potest producere. Sed talis modus conservandi nihil ad rem facit, neque potest supplere defectum influxus interni causæ a qua essentialiter secundum suam speciem et naturam individuum pendent.

5°. : Si Deus influxu determinato res conservat cessante causa secunda, ergo etiam in anima conservat hoc modo habitus vitiorum, etiam odii in Deum, quod videtur absurdum ; quia per se non posset istos habitus producere, ergo nec per se conservare.

Respondeo, concedendo quod infertur. Neque id magis est absurdum, quam quod concurrat ad actus ipsos peccatorum concursu generali : sicut enim ad munus auctoris naturæ pertinet cooperari suo influxu etiam ad actus peccatorum, ut homini constet plena libertas ; ita ad ejusdem munus pertinet conservare effectus productos, etiam noxios, quando illi a sua causa propria in conservari effective non pendent. Neque id absurdum videri

debet, quia isti habitus sunt reales qualitates naturaliter productæ ab actibus, non quatenus actus sunt peccata (sic enim solum produciunt quid morale remanens in anima, quod vocamus peccatum, vel culpam habitualem) ; sed quatenus sunt actus vitales animæ, et vere qualitates vitales. Nec obstat quod non deceat Deum tales habitus per se in anima producere ; quia illorum conditio naturalis postulat produci ab actibus ; nec ulla est ratio, cur Deus illos per se producat cum naturæ rationali sint noxii, et ad malum illam inclinent : posset tamen producere, si potentiam spectemus. Subest tamen justa ratio cur deceat ipsum per se conservare habitum pravum ab actibus malis productum : quod etiam fateri debent illi qui ad hanc conservationem non requirunt influxum determinatum, sed solum generalem.

33. Ex his perspicuum videtur : 1°. Secundum veram Philosophiam et Theologiam tenendum esse, mundum non minore influxu a Deo conservari in esse, quam quo primum conditus est, sed prorsus eodem. 2°. Res eas quæ a causis secundis productæ ab illis non conservantur effective, a solo Deo conservari influxu determinato et adæquato adeo potenti, ut Deus per illum rem produceret, si ea non existeret. 3°. Nullam rem quæ a solo Deo effective conservatur, posse perire, nisi ipso libere influxum suum subtrahente ; quod lege ordinaria nunquam facit, nisi res contrarium habeat, vel pendeat ab eo quod contrarium habet. 4°. Nullam rem habere vim se conservandi directe, ita ut ratione istius conservationis non egeat determinato influxu Dei ; hoc enim implicat contradictionem. (De Perfectionibus divinis, L. 10. c. 4.)

O. A. M. D. G.